
H. dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thuringie lantgravius et Saxonie comes palatinus,
universis hanc paginam inspecturis salutem et omne bonum. Quoniam iura civitatis
nostre et montanorum in Vriberch volumus potius ampliare quam aliqualiter enervare, et ad hoc
dare operam efficacem, qualiter eidem civitati et montibus iura ipsorum integraliter conserventur,
notum facimus universis et presentibus protestamur, quod talia iura burgensibus nostris
et montanis de Vriberch relinquere volumus omni parte, qualia habuerunt temporibus patris
nostri. Et talia illi viginti quatuor de Vriberch suo iuramento et fidelitate qua nobis tenentur
ausi fuerint obtinere et etiam confirmare. Volumus preterea ut si quid in Vriberch vel in
montibus iudicandum fuerit vel tractandum, quod hoc fiat coram advocato et illis
viginti quatuor et burgensibus nostris de Vriberch, et propter huiusmodi causas neminem ipsorum
trahere volumus ad nostram curiam quoquo modo. Ut autem factum presens circa ipsos inviolabi-
liter observetur a nostris filiis et a nobis, super eo ipsis presens dari iussimus instrumentum
sigilli nostri munimine roboratum. Datum in Tharanto anno domini M. CC. LV. pridie
Non. Julii, XIII. indictionis. Huius rei testes sunt: H. et O. burchravii de Donin,
Burchardus de Vitin, Al. dapifer noster de Birne, Ul. de Maltiz, G. de Haldecke,
H. advocatus de Vriberch, magister C. prothonotarius curie nostre notarius et Johannes scriptor.

Tafel 9: Markgraf Heinrich von Meißen für die Stadt Freiberg, 1255 Juli 6 (Nr. 132)